Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 537

Quelle:
Copyright:

biteri ad paulam et euſtochium. Initium: *Cogitis me o paula* &c. Ejus *νοθειαν* jam indicavi N. VIII.

XV. *fol.* 88. p. 2. Brevis Inſtitutio de Cognatione ſpirituali hoc ingreſſu: *Sciendum quod ſpiritualis cognacio eſt propinquitas proueniens ex ſacramenti diſpenſacione* &c. Adjecta ſunt etiam bina Schemata.

XVI. *fol.* 90. ἀδεσποτως Expoſitio ſuccincta *Cantici Cantic.* hujus initii: *In principijs librorum theologie tria ſunt inquirenda, ſcilicet quis auctor. que materia. que intencio* &c. In vitula *Honorii* Presb. *Auguſtodun.* arat Noſter, quem tamen tam parum novit, ut p. 2. *Papam* adpellet. Confer ejus Commentaria in *Bibl. PP. Lugdun.* T. XX. p. 1153. Ad calcem nobis additus eſt ipſe *Canticorum* Textus.

XVII. *fol.* 115. Excerpta e *M. Nicolai de Dinckelſpühl* cum *Sermonibus*, tum Commentariis *in Quartum Sententiarum.* Priora verſantur circa Sacramentum Altaris hoc initio: *Notandum quomodo ſacramenti conſecratio et ſumpcio fieri debeat* &c. Poſteriora reſolvunt varios caſus partim de celebratione Miſſae, partim de Baptiſmo et extrema Unctione.

XVIII. *fol.* 130. *Liber*, ut in calce, *beati Auguſtini Doctoris eximij De ſalute anime ſue, De manuali verbo Dei.* Incipit: *Quoniam in medio laqueorum poſiti ſumus* &c. Lege *Monitum* Centoni huic praefixum in edit. *Maur.* T. VI. *append. col.* 135. quae enim continet partim *Auguſtini*, partim *Anſelmi*, *Hugonis Victor. Bernardi* ſunt. Unde nec mirum Noſtra ab Editis verſus finem defle-ctere.

XIX. *fol.* 144. Medica quaedam: 1) Verſus 98. ſic dicti *Scholae Salernitanae* conſcripti Sec. XII. Facultatis tunc celebris nomine a *Johanne de Mediolano* in gratiam Regis *Anglorum*, qui fuiſſe videtur *Robertus Guilelmi Conquaeſtoris* filius natu major e *Palaeſtina* redux. Initium eſt:

Anglicorum (Anglor.) *Regi conſcripſit ſcola ſolempnis* &c.

Exempla perfectiora Verſus 373. 664. 1096. quin 1239. cenſent pro fato Opuſculorum interpolationi obnoxiorum. Vide *Ren. Moreau Prolegom.* ad *Scholae Salernit.* editionem *Pariſ.* 1672. 8. 2) Virtutes *Galgani*, *Zinziberis*, *Muſcati*, *Caryophylli*, *Cinnamomi*, *Piperis*, *Anethi*, *Baccae* nempe Lauri, adſcriptum enim germ. *Loerper*, et *Juniperi* rudi verſu, qui ad *Salernitanos* non pertinet. 3) Praecepta Sanitatis cum generatim, tum contra Peſtem, Arenam, Vitia Stomachi, ubi rurſus germ. *Pfaffentüſchl* et *Cyſerwaſſer.*

XX. *fol.* 152. Quaeſita ex omni Theologia cum ſuis Reſponſis, quae ſingillatim percenſere non eſt operae pretium.

XXI. *fol.* 174. *Evangelium S. Matthaei* cum Prologo illo: *Matthaeus ex iudea ſicut in ordine pri-*